

## Edice textu Pařížského zlomku latinského překladu Kroniky tak řečeného Dalimila

[Cap. 25.]

[1r] Dux Hostivit post hec decessit, Borzivoy super solium patris ascendit. Tunc Swatopluk in Moravia rex erat et dux Boemie sibi serviebat.  
[Q]uadam vice dux Borzivoy ivit ad curiam regis. Rex fecit sibi magnum vituperium: fecit ipsum retro mensam in terra sedere dicens: „Debes hoc scire, quod non decet paganum equalem<sup>1</sup> esse christiano. Sede cum canibus, hoc te decet, non dux, sed stulta vacca, quia non curas de creatore tuo, vice dei colens avem quamlibet.“  
[D]ux hoc audito erubuit et quam cito fuit post prandium, rogavit baptismum Borzivoy a Swatopluk rege Moravie et a Nuchidiegie archiepiscopo Welegradensi. Iste archiepiscopus Ruthenus erat, missam Sclavonice celebrabat, hic in Welegrado baptizavit Boemum primum, Borzivogium ducem honestissimum.  
[A]nno a nativitate filii dei post octingentos viginti quatuor ungitur<sup>2</sup> dux Borzivoy; ita statum suum commutavit, mundum contempnens ad devocionem se permutavit. Elemosinas multas faciebat et edes dei construebat: primam ecclesiam in Grecz construxit et sancto Clementi ipsam dedicavit, secundam sancte Marie supra Pragam a magna porta statim in via.

[Cap. 26.]

[2r] „Oportet<sup>3</sup> te hoc tuo gladio comprobare.“  
[M]onachus hinc sermone cepit petere terminum, cesar eduxit contra eum suum proditorem. Ibat proditor cesaris in circulum et cantando, super monachum nichil curando<sup>4</sup>.  
[M]onachus arrepto gladio duellari scidit proditori clipeum et ipsum solum.  
[C]esar evocavit monachum ad suam curiam et ibat<sup>5</sup> ad ipsum petens veniam.  
[R]ex Swatopluk dedit se cesari agnoscere, cesar cepit omnia fateri.  
[R]estituit ergo sibi uxorem et regnum et dedit sibi in Moravia omnem libertatem

et quicquid posset Ungarie terre acquirere, dedit sibi potestatem ad suam terram apropiare. In brevi evo Swatopluko uxor decessit et rex cum exercitu contra Ungaros ivit, Ungari regem vicerunt. Exvocato duce Boemie coram cesare cessit sibi de regno suo. Et iterum ipsum Ungari devicerunt et Moravos multos occiderunt. Iste rex cepit multum erubescere et propter verecundiam non audebat ad suos reverti, ivit ergo occulte ad heremum et fuit usque ad suam mortem in illa densitate. Hodie in hac nigri monachi missas cantant et huic monasterio in Ungaria Zaborz dicunt.

[Cap. 27.]

[9r] Postea Borzivoy de mundo decessit et de ducatu ad regnum perpetuum pervenit. Post eum Sbyhnyobb solium suscepit patris sui. Iste non erat corporis fortis, moriebatur in etate adolescentula, dimittens ducem Wratislaum fratrem suum. Iste duxit uxorem de Thodor comitis Boemie, huic nomen erat Drahomirz de provincia Sacensi. Ista ducissa pagana erat, duos filios pulcros habebat, seniori nomen erat Boleslaus et iuniori Wenczeslaus. Iste mites mores habebat, propter quos omnibus carus erat. Propter quod ipsum post patrem ducem elegerunt et Boleslao Boleslaviam dederunt.  
[S]ed quia adhuc dux Wenceslaus iuvenis erat et terram gubernare non poterat, commiserunt ipsum beate Ludmile deo et omnibus hominibus dilecte.  
[I]sta fuit uxor Borziwoii et filia comitis de Pssowa. Qui tunc Pssow dicebatur, huic postea Melnik nomen<sup>6</sup> dederunt; nam ante Melnik castrum erat, illud sibi nomen Pssobb habebat et sub civitate fluvius fluit, ille sibi Pssowka nomen<sup>7</sup> habebat.  
[D]ucisse Ludmile Drahomirz invadebat, nam sola regnare volebat.

[H]ec vocavit Thunye et Komonye,  
promisit eis argentum et palafredos,  
ut clam Ludmila privarent  
et ipsam occulte iugularent.

[9v] Isti ducisse volentes complacere  
promiserunt hoc perpetrare.

[Cap. 28.]

[S]ancta Ludmila ducem gubernabat  
et cum curia sua in Tethino residebat.

Et propter quia beata Ludmila  
deo et multis hominibus fuit cara,  
quidam christianorum pueri  
dederunt ei hoc scire,  
quid Drahomirz condixerat,  
quid etiam illi duo promiserant.

Cogniciens sancta ducissa,  
quid eius nepotis uxor intendebat,  
cepit se ad mortem preparare:  
primo orphanis promisit persolvi.

[E]t dum in devocione permaneret  
et mortem benivole desideraret,  
Tune et Komon advenerunt  
et ante curiam resederunt.

[D]ucissa videns, quod ipsam volunt occidere,  
fecit eos coram se ire,

de salute sui nepotis uxore quesivit,  
et ipsorum necessitatem eis dari fecit.

Illo die cepit peccata confiteri  
et<sup>8</sup> mortem<sup>9</sup> devotissime expectare.

Illa nocte illi nequam cameram  
super ducissam effregerunt  
et ibi beatam ducissam cum peplo strangulaverunt.  
Sic isti pagani se dyabolo subiecerunt  
et sanctam Ludmilam deo transmiserunt.

[Cap. 29.]

[11r] [D]rahomirz se de filio intromisit  
et a sapientibus de iure querebat,  
quis deberet terram gubernare,  
donec sibimet dux consilium posset<sup>10</sup> dare.

[E]t dum sapientes sese consulissent  
et pro iure dederunt,  
quod suum filium custodiret  
et interim terram gubernaret,

donec dux ad suos annos perveniret<sup>11</sup>  
et ipsum rectus sensus penetraret<sup>12</sup>.

[D]rahomirz cepit paganismum augmentare  
et totum clerum de terra fecit expelli  
et ubicumque clericum vel christianum vincebat,

vivere sibi non licebat.

Ad hoc ipsam eius malicia coegit,  
quod paganos contra christianos concitavit.

In Praga tale prelium receperunt,  
usque quod sanguinolenti rivi profluebant,  
ex utraque parte multi occisi erant.

Et hoc ipsa libenter videbat  
dicens: „In hoc faveo mortem meis paganis,  
ut per hoc diminueretur potencia christianorum.“

[E]t dum dux Wenceslaus<sup>13</sup> ad annos pervenit,  
de sue matris tutela exivit.

Dicebat: „Matercula, sede in tuo dotalicio,  
ad me spectat terre gubernacio.“

Et cepit terram regere  
et edes dei fecit aperiri,  
clerum ad terram restituit,  
quem sua expulerat mater;  
dei cultum in terra augebat.

Emendo pueros gentilium ipsos baptizabat,  
ad missam solus oblatas piscabat,  
viduis ligna de silvis de nocte portabat,  
ad sanctos de nocte nudipes ambulabat,  
usque quod sibi per viam de pedibus cruor profluebat.

[11v] Uxorem unquam non habuit,  
sed orphanos loco puerorum tenebat.  
Psalterium continuo sub brachio gestabat  
et omnes camerarios psalterium edocuerat.

Familiaris ante ipsum quidam iacebat,  
sed isti calceos exuendo extergebat.  
Huic camerario Podwein nomen erat,  
hic in devocione ducem percuciebat.

[Cap. 30.]

[12r] Et<sup>14</sup> dum Wratislaus prope ducem Wenceslaum  
vidit, quod dux Wenceslaus

crucem auream in fronte habebat  
et duo angeli hinc et hinc ipsum erant;  
videns hoc perteritus est ante ducem Boemie.

Wratislaus saliit de equo suo  
et ivit ad veniam ad eum.

Ipsum dux Wenceslaus recepit ad gratiam  
dicens: „Ba, dimitte meum, habe in tuo satis.“


Permorando secum in Sytomirz,  
in omni bono se secum reconciliavit.<sup>15</sup>

[Cap. 39.]

[8r] eum<sup>16</sup> cum argento emiserant.

[F]ures super eos advenerunt  
et dum omnes intraverunt,  
incepterunt argentum querere.

Et dum eis non haberent aliquid dare,  
quinque fratribus post longas penas  
gutturra preciderunt,  
et sic eos deo mandaverunt.  
Hoc factum est a nativitate filii dei  
anno post millesimum quartum.



Ornamentální iniciála „I“ s výběhy s rostlinnými motivy a zlatými koulemi.

[Cap. 40.]

[8v] [I]n illo tempore accidit, quod dux Ulricus venabatur, solus in solitudine silve oberrabat, vidit etenim, quod stabat perfectum castrum. Dux volebat ad ipsum ire libenter, sed viam non habebat et in circuitu castri dense spine erant. [D]escendens de equo cum gladio viam preputavit et incepit ad castrum super truncis scandere, nam non poterat illum ad se adclamare, et ut homines inibi essent, non poterat considerare, quia pons sublevatus erat et castrum muros fortes circum se habebat. [E]t cum dux cum labore ad castrum intravit, omnes cameras perambulavit.

Et tamen nec unus homo desuper erat<sup>17</sup>, erat] non erat ms. divicie multe et vina multa super eo erant. Perviso castro, unde intraverat, ibidem descendit. Postea dux dedit castrum illud domino, huic Przimda dicebatur, propterea huic castro Przimda dixerunt. [Q]uare hoc castrum in solitudine fuit positum, propter quid etiam fuit desertum relictum taliter, quod via ad ipsum non patebat, cronica Teutonica me docuit. Hac<sup>18</sup> perlegi, quod Aldeburgensis comes iuvenis erat, hic in curia cesaris continuo stabat et incepit filiam cesaris amare, et illa, quod eum reamaret, incepit sibi pandere. Iste comes eam apud patrem rogare non audebat, quia sibi equalis non erat. Et sic amore desiccabatur et cesaris filia etiam pre anxietate<sup>19</sup> marcescebat. [A]d hoc ipsum coegit fortis amor, [7r] quod eum invasit talis miseria, que sic circa tales solet esse, nam raro quis occulti amoris in bono utitur. Cesari suum comitatum vendidit et quam cito cesar sibi pecuniam dedit, incepit per guastas silvas perambulare et aptum sibi solum ad castrum querere. Invento monte incepit castrum edificare, Edificato castro cepit expensas conquirere, quibus post per centum annos<sup>20</sup> vivere. Perfecto toto cepit omnes operarios occidi, postea totam familiam in unam domum inclusit et recludens igne combussit omnes homines. Hoc fecit propter illud consilium quod nemo sciret<sup>21</sup> istud castrum. [I]n hoc malum consilium habuit, quod nulli credere presumpsit<sup>22</sup>. Post hoc cesaris filiam absportavit et super castrum suum occulte eam portavit. Super quo solus cum sola per quinquennium resedit, quod cum nullus homo scivit<sup>23</sup>. [C]ontingit, quod cesar cum sua curia Ratispone erat. Egrediens ad venacionem solus per silvam errabat, nesciens quid sibi ipsi facere; cupiebat, quod posset alicubi villam videre, post rivum incepit sursum ad castrum equitare, super quo filia sua cum eius genero erat. Videns castrum ibat ad pontem cicius et incepit rogare, quod ipsum dignarentur intromittere, nam iam triduo non comederat et pluvia frigida super ipsum ibat. [7v] [H]ospitem super castrum intromiserunt

et prout melius poterant, ipsum honoraverunt,  
nam eis iam gratus homo venturus erat;  
et ideo, quia hominem diu non viderant  
et nova libenter scire volebant,  
et incepterunt de cesare querere.  
Ipse sicut de alio de se inceptit falso<sup>24</sup> respondere  
dicens: „Numquid hoc ignoratis,  
quia decessit de hoc mundo?“

[F]ilia sibi respondit:

„Eia, qualiter hoc libenter scio,  
nam de hoc sibi faveo libenter,  
ne meo dilecto propter eum eveniret malum,  
de hoc eciam faverem cognacioni toti mee,  
ut per hoc facerem pacem meo dilecto.“

[D]ecedens cesar de castris ad exercitum edixit  
et principibus suum violentum generum dixit.  
Cum labore viam ad castrum propulerunt  
et ante castrum se cum exercitu posuerunt.

[C]esar mandavit genero dici  
dicens: „Decet te hoc scire,  
quod comedi panem tuum.“

Sed quia tu es violenter gener meus,  
super vitam te diffido  
et de filia nichil curo<sup>25</sup>.“

[E]t dum comiti se defendere inerat,  
cum quo se defenderet, non habebat,  
nam omnes sone putruerant  
et unde alias facerent, non habebant.

[Q]uando castrum in perditione erat,  
si filia cesaris non excogitasset cicius  
super meniis stare<sup>26</sup>


[Cap. 42.]

[10v] [D]ux Ulricus apud Postolopr̄t venabatur.  
Accidit, cum per quadam villam transiret,  
vidit, quod una virgo honesta super rivo stabat  
nudipes et sine manicis vestimenta abluebat.  
Rustica pulcra valde erat  
et circa hoc ex toto pudicos mores habebat.  
Incepit eius pulcritudinem mirari stando  
et statim illam<sup>27</sup> pro ducissa duxit.  
Illa ducissa virtuosa erat  
et sibi nomen Bosena habebat.

[D]omini sibi de hoc pro malo ceperunt habere.  
Dux dixit: „Domini, dignemini audire.“

Ex rusticis spectabiles fiunt  
et spectabilium filias rustici ducunt,  
nam pro antiquitate divicie nobilitatem faciunt,  
et sepe nobile de rusticitate paupertas redarguit.  
Egressi sumus omnes ex patre uno  
et is appellat se nobilem, qui habet de argento multum,

ex quo est ita nobilitas cum rusticitate permixta.  
Erit idcirco uxor mea Bozena!  
Malo cum Boema rustica ridere  
quam filiam regis alienigenam pro uxore habere.  
Bulit cuilibet cor post linguam suam,  
et propter hoc alienigena minus favebit<sup>28</sup> hominibus meis.  
Alienigena alienam familiam habebit<sup>29</sup> habebit] erit habere ms.  
et instruet Teotonice pueros meos,  
et ideo erit lingue scisma  
et statim terre certa destruccio.  
Domini, vos nescitis bonum vestrum  
improperantes michi de matrimonio meo:  
ubi interpretes acciperetis,  
quando coram Teotonica ducissa staretis?“  
[E]t quando dux de Bozena filium habuit,  
hunc Brzecislaum nominavit.



Ornamentální iniciála „P“ s výběhem s rostlinnými motivy a zlatými koulemi.

[Cap. 44.]

[5r] Post hec dux volens vindicare avum suum  
ivit super Meskam ducem Polonie.  
Meska contra ipsum potenter exivit,  
et in illo prelio Meska decessit.  
A Bochemia usque recte ad Glogoviam

non audivisses Polonice verbum,  
 nam totam terram in cinerem redegerat.  
 Et Brzeczislaus in Knyesna Poemicalia  
 tentoria posuit.  
 Ab inde quinque fratrum corpora receperunt  
 et sanctum Radimum inde sustulerunt.  
 Sanctus Woythiech non permisit se inde accipere,  
 usque quo oportebat eos ieiunium trium dierum recipere;  
 officia magna faciebant,  
 tabernas in festis prohibuerunt  
 et servos homines liberaverunt  
 et quisquis contra faceret,  
 hic<sup>30</sup> per episcopum excommunicatus est<sup>31</sup>.  
 Et postquam hec perfecissent,  
 tunc corpus sancti Woythiechi sustulerunt.  
 Nam propter hoc isti excommunicati erant,  
 quo abdicato domum eum receperunt  
 etiam omnes alios sanctos receperunt.  
 Ibi receperunt tres tabulas pictas ex toto aureas,  
 quarum quolibet trecentas libras ponderabat,  
 inter quas crux aurea erat.  
 Hanc fecerat dux Meska de auro facere,  
 quo se poterat ter preponderare.  
 E Polonia centum currus de campanis eduxerunt  
 et de aliis preciosis multum exportaverunt.  
 Hoc factum est a nativitate filii dei  
 anno post mille triginta octo.  
 [5v] [P]oloni super Boemos de violencia querelabantur  
 et contra eos Rome in iure obtinuerunt.  
 Papa incepit Boemis nimis comminari,  
 sed postquam vidit, quod Boemi volunt ei supplicare,  
 precepit eis de hoc aliquo modo deo emendare.  
 Dux Boemie precepit propter hoc in Boeslavia ecclesiam facere.  
 Tunc temporis cesar Gutte pater decessit,  
 cum cuius morte multum honoris deperiit.

[Cap. 45.]

[A]lter cesar volens a Boemis Polonie thesauros rehabere,  
 volebat Brzeczislao ducatum auferre.

Cum magno exercitu ad Boemiam ibat  
 et dum Bavarie silvam adiret,  
 hoc duci Brzeczislao dixerunt,  
 quod iam apud silvam stabant.

[B]rzeczislaus suis dixit:

„Hoc ego bene scio,  
 quod non habemus arcus pineos,  
 nec gladios de tilia;  
 et ex cesare lac pro sanguine non exibat,  
 si ipsum meus gladius attinget:  
 taliter cruor de suo latere sicut de meo effluet.“  
 Et quam cito hoc dixit,

precepit omnibus apud Domaslicz esse  
 dicens: „Ibi debemus apud Domaslicz congregari.“  
 Audiens, quia Saxones vadunt ab alia parte,  
 dixit eis dux: „Non timeatis Saxonum<sup>32</sup> plagam!“  
 Et precepit Prkossio de Bielina contra Saxones<sup>33</sup> ire  
 et uno verbo cum ipsis prelium inire  
 dicens: „Non permittas eos cum cesare congregari.  
 Si perdes aliquid, non permittam te in ullo<sup>34</sup>“

- 1 equale ms.
- 2 umigitur ms.
- 3 Caret initio ms.
- 4 non curando ms.
- 5 ibit ms.
- 6 Omm. ms.
- 7 Omm. ms.
- 8 Omm. ms.
- 9 Omm. ms.
- 10 non posset ms.
- 11 non perveniret ms.
- 12 non penetraret ms.
- 13 Wencelaus ms.
- 14 Caret initio ms.
- 15 Caret fine ms.
- 16 Caret initio ms.
- 17 non erat ms.
- 18 Hanc ms.
- 19 ansietate ms.
- 20 anno ms.
- 21 non sciret ms.
- 22 non presumpsit ms.
- 23 non scivit ms.
- 24 faso ms.
- 25 non curo ms.
- 26 Caret fine ms.
- 27 illa ms.
- 28 erit favere ms.
- 29 erit habere ms.
- 30 hii ms.
- 31 excommunicaverant ms.
- 32 Sanxonum ms.
- 33 Sarxones ms.
- 34 nullo ms. Caret fine ms.